S A N C T A E

S E D I   A P O S T O L I C A E

EPISCOPI SAMOGITIENSIS

R E L A T I O   D I O E C E S A N A

A n n o D. n i 1926.

Prima relatio facta est anno 1921,mense ianuario.

In hac secunda relatione omittuntur plerumque ea omnia,quae partem materialem status dioecesis respiciunt et immutata manent.

CAPUT I.

Generalia de statu materiali personarum et locorum.

1.Episcopus Samogitiensis manet idem:Franciscus Karevičius,65 annum aetatis agens,e paroecia Mosedis in Samogitia oriundus,episcopus consecratus est die 17 Maii anni 1914,regimen dioecesis suscepit die 31 Maii eiusdem anni.

Episcopum Auxiliarem,dioecesis Sedi datum,habet eundem:R.mum D.mum Josephum Skvireckas,Episcopum titularem Ceramensem,consecratum die 13 Julii 1919 anni.

2.Dioecesis Samogitiensis,anno 1417 cura Vitoldi Magni a concilio Constantiensi per legatos Joannem,archiepiscopum Leopoliensem,et Petrum,episcopum Vilnensem,cum sede episcopali Varnis seu Medininkis erecta et a S.P.Martino V.an.1421 confirmata,decursu temporis limites varios habebat;ab an.1849 provinciis Caunensi nec non Curonensi constabat et circa 60 000 kilomet.quadr.territorii tenebat;an.1864 sedes episcopalis cum capitulo et seminario dioecesano Varnis Caunam a potestate civili translata est;ecclesia, quae honori SS.Apost.Petri et Pauli dicata erat,cathedralis vocari coepit et ab an.1895 auctoritate apostolica P.Leonis XIII Cathedra Samogitiensis est facta.

Cathedrale templum,occasione quinti iam elapsi saeculi ex quo condita primum est dioecesis Samogitiensis,Litteris Apostolicis, die 26 mensis Aprilis anno 1921 datis erectum est in Basilicam Minorem;cuius erectionis sollemnia festa celebrata sunt Caunae

die 11 mensis Septembris eiusdem 1921 anni.Separatis per Bullam "Maxime interest"(9.VI.1920) Curonia et per Const."Vixdum" (28. X.1925) parte territorii Zarasensis cum 13 ecclesiis et 62 000 fidelium,territorium dioecesis redactum est ad hodiernos fines.

Dioecesis ista ab anno 1798 est suffraganea Provinciae eccles. seu Metropoliae Mohiloviensis cum sede in urbe Petropolis in Russia.

3.a.Locus residentiae Ordinarii nunc temporis est urbs Kaunas. Epistolae possunt inscribi:Kaunas (Lituania),Valanč.g.2.

b.amplitudo dioecesis attingit in praesenti circa 36000 qkl et occupat provinciam Kaunensem Reipublicae Lituanae;dicio civilis: territorium 5.500 000 ha;populatio 2.029.000;catholici efficiunt 82%;coeli temoeries est moderata;lingua lituana.

c.Summa incolarum territorii dioecesis attingit circa 1700000, quos inter 1.146.000 sunt catholici.

Oppida praecipua sunt:Kaunas (circa 120.000 incolarum),Šiauliai,Panevėžys,Telšiai,Raseiniai,Ukmergė,Ežerėnai,Varniai,Kėdainiai,Žagarė,Šeduva,Plungė,Biržai.

Praeter Judaeos,qui in numero circa 320 milium plerumque in oppidis degunt,adsunt in dioecesi item acatholici et quidem:graeco-orientalis schismatis asseclae seu Russi orthodoxi circa 10 milia (loco 50 milium ante bellum;nam plerique orthodoxi,uti officiales civiles et militares Russi,restituto Statu Lituano regionem dereliquerunt);ev.lutheranae confessionis circiter 50000;reformatae seu Calvinianae confession.circa 15000;reliqui pertinent ad minores protestantium sectas vel mahometanam profitentur.

d.Numerus sacerdotum saecularium est 607.In seminario dioecesa-

no sunt 157 alumni ex hac dioecesi et 12 alumni e parte dioecesis Vilnensis in Lituania.

e.ut in relatione anni 1921.

f.Dioecesis dividitur in 32 decanatus seu vicariatus foraneos, complectitur 226 ecclesias paroeciales.Maximae paroeciae cum numero fidelium circa a 14 ad 10 milia non superant numerum 30,aliae sunt mediocres cum 5 vel 4 milibus fidelium,reliquae cum numero fidelium a 2000 ad 1000 ad minimas pertinent.

Paroeciae per linguas seu nationes distributae vel per familias distinctae desunt;omnes paroeciae sunt territorio divisae.

Praeter memoratas ecclesias paroeciales dantur 153 ecclesiae filiales,apud quas sunt sacerdotes vicarii cooperatores pro parte, vulgo filialistae vel curati,praeterea sunt adhuc 260 cappellae seu oratoria publica et 18 oratoria semipublica.

Sacra loca celeberrima sunt:Šiluvas et Kalvarija clara imaginibus miraculosis B.Mariae V.quqe in hac regione magna fidelium veneratione gaudent et notabili populi concursu coluntur.Imago Šiluvensis anno 1786 decorata est corona a Summo Pontifice Pio VI benedicta.

g.Religiones virorum adsunt in dioecesi:1)monasterium Ordinis Fratrum Minorum S.Francisci in loco Kretinga anno 1610 fundatum. Adsunt:a)In residentia Kretingensi 3 sacerdotes,6 clerici studentes,11 fratres laici,9 candidati ad laicatum;b)in residentia Kaunensi 1 sacerdos ,1 clericus studens,5 fratres laici et 1 candidatus ad laicatum.

2)Congregatio Clericorum Regularium Marianorum domus Kaunensis: 6 sacerdotes,3 studiosi et 2 laici.

3)Ordo Societatis Jesu (Missio Lituana Caunae):3 sacerdotes,4 fratres,2 coadiutores et 31 candidati.

Reliquae religiones virorum cum suis domibus suppressae sunt a gubernio Russico, tempore quo haec regio dicioni Russorum subiecta erat.

h. Religiones mulierum in dioecesi habentur:

1. Caunense monasterium monialium Ordinis S. Benedicti iuris pontificii cum 16 monialibus, quarum 6 in domo Kaunensi, aliae 10 in residentia Kolainensi.

2. Krakensis Conventus Congregationis Sororum S. Catharinae V.M., iuris dioecesani cum 10 religiosis; 4 novitiis. Praeterea 2 sorores occuptae sunt in orphanotrophio Krakensi, 2 sorores in orphanotrophio Žeimensi et 3 sorores ministrant in xenodochio in loco Stravininkai.

3. Domus religiosa Congreg. Sororum S. Casimiri in Pažaislis (Mons Pacis), iuris dioecesani. Adsunt sorores professae 19, Sorores novitiae 14, postulantes 8.

Sorores S. Casimiri occuptae in Instituto "Saulė" Caunae: 7 sorores professae, 2 novitiae et 9 postulantes.

Sorores S. Casimiri occupatae in schola paroeciali Aukštoji Panemunė: 3 sorores professae et 2 postulantes.

4. Congregatio (abscondita) Famularum B. Mariae Immaculatae habet 9 domus cum 25 sororibus, Iuris pontificii, habet decretum laudis.

5. Congregatio (abscondita) Famularum Cordis Jesu pariter iuris pontificii, habet duas domus cum 11 religiosis.

6. Congr. SS. a S. Cruce: tres domus, 8 sorores.

CAPUT II.

De aministratione temporalium bonorum, de inventariis et et archivis.

4. Ut anno 1921.

5. Ad ordinandum universorum bonorum ecclesiasticorum negotium

institutum est Consilium Administrationis,constans praeside,Vicario Generali,quatuor consiliariis:Episcopo Auxiliari R.D.Josepho Skvireckas,Praelato Maironis-Mačiulis,canonicis C.Šaulys et Casimiro Paltarokas. Quod Consilium ratione stabili gerit negotium administrationis et in actibus maioris momenti auditur ab Episcopo, ad normam can.1520.

6.Administratores particulares,sive ecclesiastici,sive saeculares,cuiusvis ecclesiae etiam cathedralis,aut loci pii canonice erecti aut confraternitatum,reddunt quotannis Ordinario relationem suae administrationis,ad normam can.1525.

7,8,9,10,11 ut anno 1921.

12.Circa Missarum stipem servatur consuetudo localis ab Ordinario loci probata ac ordinata Instructione 1922,audito consilio Conferentiae decanorum.

Praescripta canonis 835 de non colligendis a sacerdotibus missis,quibus intra annum ipsi satisfacere nequeant,can.841 de transmissione ad Ordinarium missarum exuberantium,can.843 et 844 de libro tam personali quam ecclesiarum proprio pro missis adnotandis servatur;Missarum onera superflua traduntur Ordinario secundum modum ab eodem definitum.Ab Ordinario loci Missae committuntur celebrandae vel propriis subditis vel traduntur S.Sedi Apostolicae mediante Delegatione Apostolica in Lituania.

13,14,15 ut anno 1921.

CAPUT III.

De fide et cultu divino.

16,17,18,19,20,21,22 ut anno 1921.

23.Ne furtis et profanationibus obnoxiae sint ecclesiae rite

custodiuntur:ecclesiae in quibus SS.Eucharistia asservatur,praesertim paroeciales,quotidie per aliquot horas fidelibus patent.Cann. 1267 et 1268 circa custodiam SS.Sacramenti in uno tantum loco et altari et circa decorem et ornamentum altaris eiusdem;can.1269 circa tabernaculi statum,can.1271 circa lumen perpetuum coram SS.mo observantur.

CAPUT IV.

De iis quae ad Ordinarium pertinent.

24.Ordinarius Samogitiensis fruitur reditibus:1.Ex bonis immobilibus quae constant:a)uno praedio 180 ha;b)uno lacu mediocri;c)una villa seu domo lignea in loco antiquae sedis episcopalis Varniai (Vornie);2.ex publico aerario percipitur annua pensio in summa 14400 litorum et 9600 litorum pro sustentatione domus;in totum 24000 litorum quod aequat circa 50000 libell.ital.Qui reditus sufficientes sunt ad honestam sustentationem.

Domus episcopalis Caunae est muro latericio constructa,constans duabus contignationibus,quarum superiorem inhabitat Episcopus cum suo famulo,inferior contignatio divisa est in duas partes,quarum alteram inhabitat Episcopi Secretarius,idem et Cancellarius Curiae, alteram vero ostiarius et culina cum famulatu occupant.

Cathedraticum ad normam can.1504 exigitur nullum.

Speciali dioecesis necessitate impelente,praesertim ratione belli,inde ab initio anni 1920 ad decursum anni 1925 imposita erat omnibus beneficiariis,ad normam canonis 1505,exactio solvenda quot - annis in quantitate a 80 ad 120 litorum.Praeterea ab omnibus sacerdotibus visitationi decanorum seu vicariorum foraneorum obnoxiis solvitur inde a multis annis praestatio specialis pro seminario dioe-

cesano in annua quantitate 50 litorum.

Episcopus sive qua Ordinarius,sive qua persona privata nullo aere alieno gravatus est.

25,26 ut anno 1921.

27.Ordinarius legi residentiae satisfacit per commorationem in civitate episcopali.Tempore visitationis spatio quatuor mensium quotannis Episcopus in quavis ecclesia paroeciali peragit pontificalia,concionatur bis vel ter in die.In civitate episcopali peragit pontificalia in sollemnioribus festivitatibus et facit allocutionem ad populum.Litterae pastorales ad clerum et populum dantur pro temporis opportunitate.Leges ecclesiasticae et dioecesanae notae fiunt per insertionem et publicationem in officiali Folio Dioecesano "Tiesos Kelias"vel in casibus extraordinariis per litteras circulares aut cursorias.Decano seu Vicarii foranei tenentur obligatione advigilandi et curandi ut leges fideliter serventur ad normam can.336.

28 ut anno 1921.

29.In ultimo quinquennio sive per me,sive per Episcopum Auxiliarem Samogitien.ad Sacros Ordines promoti sunt,praeter caeteros clericos,ad presbyteratum 31 diaconi;in hoc numero e dioecesi Samogitiensi 29,Vilnensi 1 et Congreg.Clericorum Regularium Marianorum 1.

Leges de non promovendis a)qui necessarii vel utiles non sunt iuxta can.969 et b)qui saltem integrum cursum theologiae in Seminario non peregerint sunt servatae.Ob belli adiuncta Seminarium per duos fere annos erat clausum;praeterea multi sacerdotes sive morbis contagiosis affecti tempore belli praemature obierunt,sive acie exercituum pugnantium asuis sedibus seclusi vel extra limites dioecesis missi erant,exinde orta est notabilis penuria sacerdotum.

Generatim numerus promotorum ad presbyteratum attenta necessi -

tate pro tempore est adhuc insufficiens.

Incardinatio in quinquennio facta est nulla.

Decreto S.Congregationis Concilii diei 31 martii 1921 anni sacerdos Paulus Klikna excardinatus est ex hac dioecesi et incardinatus archidioecesi Varsaviensi.

30,31,32 ut anno 1921.

33.Ultimo quinquennio omnes ecclesiae canonice visitatae sunt.

Praeter loca et res,libros et archiva visitavi quoque personas clericorum,uniuscuiusque vitae rationem confessionisque frequentiam absque nimia indagatione cognoscendo.

Inspexi quoque quae habentur circa legatorum adimplementum et missarum manulaium satisfactionem ac stipem,et reperi fere omnia hac in re procedere ad normam Instructionum dioecesanarum et legis iuxta cann.824-844.

34,35,36 ut anno 1921.

CAPUT V.

De Curia dioecesana.

37.Curia dioecesana habet aedes proprias,non omnino tamen sufficientes et convenientes,praesertim pro archivo dioecesano servando.

Prospectus officialium Curiae dioecesanae:

1.Vicarius Generalis E.mus,Ill.mus ac R.imus D.nus Joseph Skvireckas,Episcopus Auxiliaris.

2.Officialis,Praelatus Paulus Januševičius,M.T.

3.Vice-Officialis,Joseph Liasauskis,Dr.,presbyt.

4.Promotor Justitiae,Presb.Petrus Malakauskis,Dr.

5.Defensor vinculi (matrimonii et ordinis),Presb.Petrus Malakauskis,Dr.

6. Cancellarius, Canonicus Casimirus-Stephanus Šaulys, M.T.
7. Vice-Cancellarius, Presb. Joannes Sitavičius.
8. Secretarius Episcopi, Presb. Joseph Byla.
9. I. Notarius f.m., Presb. Petrus Vaitiekūnas.
10. II. Notarius, Presb. Georgius Latvėnas.
11. III. Notarius, Presb. Felix Kapočius.
12. Archivarius, Presb. Petrus Veblauskas.
13. Actuarius in Tribunali dioec., Presb. Antonius Syrus.
14. Registrator, Justinus Skvireckas.
15. Calculator, Alexander Račkauskis.
16. Scriba Tribunalis, Petrus Baranauskas.
17. II. Scriba, Joseph Vaitonis.
18. III. Scriba, A. Reno.
19. Cursor f.m., J. Vaitonis.
20. Apparitor.

Tribunal Ordinarium primae Instantiae.
(Constitutum die 7 Decembr. 1918).

Officialis: Praelatus Paulus Januševičius, M.T.
Vice-officialis: Joseph Liasauskis, Dr.
Promotor justitiae: Presb. Petrus Malakauskis, Dr.
Defensor vinculi: Presb. Petrus Malakauskis, Dr.
Notarii: I. Petrus Vaitiekūnas, presb.
" II. Antonius Syrus, presb., Actuarius.

Tribunal ordinarium secundae Instantiae, seu appellationis
pro dioecesi Samogitiensi.

(Constitutum die 30 Januarii 1920 ad tempus, ex concessione Ex.imi ac R.issimi Achillis Ratti, Archiepiscopi, Visitatoris Apostolici Li-

tuaniae,data die 30 eiusdem mensis Caunae,occasione visitationis huius dioecesis).

A causis in prima instantia pertractatis coram Tribunali Samogitiensi fit appellatio ad R.issimum Ordinarium Seinensem.

Tribunal Ordinarium I Instantiae dioecesis Seinensis exercet munus Tribunalis Secundae Instantiae pro dioecesi Samogitiensi.

Locus residentiae p.t.Gižai.

Tribunal Secundae Instantiae pro dioecesi Seinensi.

(Constitutum die 2 decembris 1922 ex concessione S.Sedis data die 28 Julii 1922,ad quinquennium).

Dioecesanum Tribunal Samogitiense constitutum est Tribunal Appellationis Secundae Instantiae pro dioecesi Seinensi.

Locus residentiae:Kaunas,Rotušės Aikštė,8.

Judices pro-synodales.

1.Praelatus Alexander Dambrauskas,M.T.
2.Praelatus Franciscus Pacevičius,M.T.
3.Praelatus Paulus Januševičius,M.T.
4.Praelatus Constantinus Olšauskis,M.T.
5.Canonicus Casimirus Paltarokas,M.T.
6.Presbyter Bronislaus Liaus,M.T.,Can.hon.
7.Canonicus Antonius Alekna,C.T.
8.Canon.hon.Joseph Stakauskas,M.T.

Notarii et actuarii.

1.Presb.Georgius Latvėnas.
2.Presb.Felix Kapočius.

3.Presb.Petrus Vaitiekūnas,f.m.

4.Presb.Antonius Syrus.

Archivarius:Presb.Petrus Veblauskas.

Parochi Consultores.

1.Praelatus Paulus Janulševičius,M.T.,parochus Caunensis ecclesiae SS.Trinitatis.

2.Clemens Šovys,Dr.T.,parochus Seredžensis.

3.Antonius Kryžanauskis,parochus Viduklensis,Can.hon.

4.Julianus Jasienskis,M.T.,parochus et decanus Šiaulensis.

5.Casimirus Pronckietis,M.T.,parochus et decanus Kėdainensis.

6.Stanislaus Sarapas,parochus Radviliškensis,decanus Šeduvensis.

7.Julius Maciejauskis,parochus et decanus Švėkšnensis.

8.Dominicus Motuzas,parochus Skaudvilensis et decanus Tauragensis

9.Paulus Korzonas,parochus et decanus Telšensis.

Consilium Administrationis
ad ordinandum universum bonorum ecclesiasticorum negotium.

(Const.7.Dec.1918).

Praeses Ex.imus ac R.imus Ordinarius loci.

Consiliarii:1.Eppus Joseph Skvireckas,M.T.

2.Prael.Dr.Joannes Maironis-Mačiulis.

3.Can.Casimirus Paltarokas,M.T.(subst.d.7 Martii 1919 an.)

4.Canonicus C.St.Šaulys,M.T.

Coetus deputatorum

in cônsilium seminarii dioecesani ad proximum sexennium.

(Const.mense ianuar.1925).

a)Pro Consilio disciplinae:

1.Praelatus Alexander Dambrauskas,M.T.

2.Canonicus Antonius Alekna,C.T.

b)Pro Consilio administrationis:

1.Praelatus Paulus Janusevičius,M.T.

2.Canonicus C.-St.Šaulys,M.T.

Consilium vigilantiae.

1.Praelatus Dr.Joannes Maironis-Mačiulis.

2.Prof.Dr.Franciscus Būčys.

3.Prof.Dr.Blasius Čėsnys,Can.hon.

Censores librorum de religione tractantium:

1.Joseph Skvireckas,M.T.,Eppus Auxil.

2.Joannes Maironis-Mačiulis,Dr.T.,Prael.

3.Alexander Dambrauskas,M.T.,Prael.

4.Paulus Janusevičius,M.T.,Prael.

5.Casimirus Šaulys,M.T.,Can.

6.Bronislaus Liaus,M.T.,Can.hon.

7.Casimirus Paltarokas,M.T.,Can.

8.Marcus Morkelis,M.T.,Prof.Seminar.

9.Joseph Meškauskas,M.T.,Prof.Seminar.

Examinatores pro-synodales

ad proximum decennium ad normam can.385-390 constit.

1.Eppus Auxil.Joseph Skvireckas,M.T.

2.Praelatus Joannes Maironis-Mačiulis,Dr.T.

3.Praelatus Alexander Dambrauskas,M.T.

4.Praelatus Paulus Janušević̌ius,M.T.

5.Canonicus Casimirus Šaulys,M.T.

6.Canonicus Casimirus Paltarokas,M.T.

7.Canonicus Antonius Alekna,C.T.

8.Canon.hon.Bronislaus Lisus,M.T.

38.Vicarius Generalis est Episcopus Auxiliaris Rev.mus D.nus Joseph Skvireckas,excellens doctrina,zelo fidei,animi gravitate ac constantia.

39.Proventus Curiae habentur potissimum ex aerario publico; secundum legem vigentem,quae tamen in Comitiis legislativis quotannis votari debet,pro necessitatibus huius dioecesis solvitur in totum summa 906.000 litorum(circa 2.100.000 libellarum ital.)

Erogatio:a)subsidia in sustentationem officialium et institutorum Curiae 108.000 litor.;b)ecclesiae cathedrali 40.970 lit.; c)in subsidium cleri paroecialis 666.000 litorum;d)reliqua pecunia destinatur sustentationi aedificiorum et rei domesticae vel oeconomicae aut cedit in subsidium invalidorum et aegrotantium.

Praeterea secundum vigentem in dioecesi consuetudinem immemorabilem percipitur aliqua praestatio pro concedendis dispensationibus a publicationibus matrimonialibus in quantitate a 5 ad 15 litor.pro casu.Quae praestatio efficit circa octo milia litorum;haec summa cedit in subsidium sustentationis Cancellariae Episcopi et officialium.

Aliae eleemosynae vel taxae,solutae iuxta vires pro dispensationibus matrimonialibus,erogatis ab Ordinario vigore facultatum specialium,in quantitate annua circa lit.10-12 milia transmittuntur ad S.Congregationem de Sacramentis,resp.S.Congreg.S.Concilii.

CAPUT VI.

De Seminario.

40.Seminarium dioecesanum adest in civitate episcopali Caunae. Seminarium constat duabus maioribus domibus lapideiscum adiacenti ecclesia et separatur ab urbe muro,quo est circumseptum.Hisce in domibus alumni et habitant et ibidem aulae pro disciplinis tradendis habentur.Intra eandem sepem exstant etiam aliae minores domus pro magistris et famulis.Numerus alumnorum nunc teporis est 157 ex hac dioecesi et 12 alumni e parte dioecesis Vilnensis in Lituania.sita.

Tali clericorum numero habitaculum est sufficienter adaptatum, ut valetudini provideatur.Anno praeterito aedes seminarii sunt notabiliter ampliatae,facta superaedificatione tertiae contignationis supra una domo.

41.In Seminario adsunt duo cursus,lycealis seu philosophicus trium annorum et theologicus quatuor annorum.Ad studia lycealia in Seminario peragenda non admittuntur nisi alumni qui testimonium afferunt de cursu studiorum quinque classium gymnasialium in scholis publicis rite absoluto et qui praeterea examina concursalia ex disciplinis linguae latinae et patriae ac religionis cum successu subeant.In cursu lyceali traduntur disciplinae institutionis communis convenienter cum normis programmatis studiorum pro classibus superioribus scholarum publicarum seu gymnasialium praescripti.

a) Numerus et status eorum qui externam disciplinam regunt,qui

spiritualiter alumnos dirigunt,qui docent,qui discunt est sequens:

Rector prael.Joannes Maironis-Mačiulis,Dr.T.

Vice-rector canon.Casimirus Paltarokas,M.T.

Praefectus presb.Stanislaus Usaris,Dr.

Director spiritus presb.Joseph Meškauskas,M.T.

Professores in philosophicis studiis:

Litterarum Universalium et Historiae Lituaniae Rector Seminarii.

Linguae Latinae,Propedeuticae theol.,Scientiae status can.Paltarokas.

Catecheticae,Litter.Lituan.,Theor.art.litter.,Linguae Graecae presb.Morkelis.

Historiae Univers.et Eccl.,Linguae Latinae presb.Benedictus Andruška,S.J.

Liturgicae,Scietiae Natural.,Physicae,Asceticae presb.Meškauskas.

Philosophiae,Linguae Germanicae presb.Usaris.

Algebrae,Geometriae,Trigonometriae,Cosmographiae presb.Stanislaus Gruodis.

Cantus eccles.presb.Theodorus Brazys.

In Seminario discunt hoc anno circa 169 alumni divisi per 7 cursus:duos philosophicos et quatuor theologicos.

b)Aedes Seminarii sunt lapideae an.1471 erectae et destinatae monasterio Fratrum Ordinis S.Francisci.Monasterio a gubernio suppresso,aedes anno 1864 Seminario destinatae sunt;hygienicis exigentiis non omni ex parte respondent;domus rusticationis deest.

c)A gubernio Seminarium quotannis 203.000 litos obtinet.Insuper habet:rusticam villam,quae 123 ha constat,a Seminario longe distat et annuum censum 1200 litorum praebet;Seminario contiguam amplam

domum lapideam cum horto(domum Rectoris praelati Maironis),quae 18000 lt.quotannis titulo locarii praebet.Tandem ipsi alumni qui possunt iuxta vires,pro sua sustentatione solvunt singuli 600 litos per annum,quod circa 50000 lt.efficit.

Tributum,ad normam canonum 1355,1356,solvunt in modica quantitate 50 litorum per annum soli sacerdotes beneficiarii.Praeterea occurrente aliqua necessitate extraordinaria,praesertim ad restaurandas aut ampliandas aedes,commendatur parochis collectio stipis in ecclesiis semel in anno.

A gubernio Reipublicae accepit mutuo summam 100000 lit.reddendam intra 3 annos;cuius debiti ex collectis annuis restituendi spes fundata affulget.

Expensae. Reditus ordinarii expenduntur in sustentationem magistrorum,famulatus et aedium ac rei oeconomicae Seminarii.

Onera seu obligationes pro fundatoribus vel benefactoribus sunt: 176 Missae dicendae a neo-presbyteris et 24 Missae a superioribus et professoribus Seminarii.Insuper bis in anno Officium Defunctorum ab alumnis cantandum.

d)Ad meliorem Seminarii statum videtur necessarium sumptuum augmentum eo fine ut aedes amplientur et reconstruantur iuxta hygienae exigentias,ut bibliotheca libris et operibus locupletetur,ut maior alumnorum numerus omnino gratis recipi et educari queat,ut pietate,idoneitate,ingenio praestantes alumni in maiore quam nunc numero in Facultates theologicas aut Academias mitti possint ad continuanda studia specialia.

42,43 ut in relatione anni 1921.

44.Ordinarius,quantum id temporum adiuncta sinunt,curat,ut aliqui alumni pietate et ingenio praestantes in Urbe vel in Universitatibus rite probatis studiis vacen.Nunc temporis presbyter Petrus

Kaščiukas et Franciscus Venckus in Urbe studiis theologicis vacant. Praeterea praeparatorii gressus fiunt ut in Urbe speciale Collegium Lituanum pro studiosis Lituaniae erigi possit. Hoc anno academico 15 presbyteri vacant continuandis studiis theologicis et philosophicis in cursu superiore seu speciali Facultatis Theologico-Philosophicae in Universitate Lituana.

CAPUT VII.

De Clero generatim.

45,46 ut anno 1921.

47. Canon 130 circa examina annualia novorum presbyterorum iam adimpletur ab anno 1925.

48. Intuitu boni communis et ad utilitatem religionis concessi ad normam can.139,§ 4 tribus sacerdotibus licentiam suscipiendi munus deputatorum Coetus legislativi(Seimas). Septem praesbyteris data erat permissio operam praestandi in cooperativis. Uni sacerdoti permissum est ad tempus operam praestandi in arcis parsimonialibus. Ratio est, quia fideles laici, praesertim ruri, nondum sufficiunt ad expedienda id genus negotia, quae hucusque potissimum in manibus socialistarum et iudaeorum reperiebantur.

Unus sacerdos proprio marte, non petita ab Ordinario licentia, assumpsit propositum a gubernio munus moderatoris notabilis mensae nummulariae (Lietuvos Bankas, Banco di Lituania).

49. Clerus generatim praestat eam quam can.127 praecsribit obedientiam et reverentiam erga Ordinarium suum, et erga Apostolicam Sedem. Sed sunt etiam qui graviter defecerunt: sacerdos Vilhelmus Francuzowicz, aere alieno gravatus et obnoxius redditioni rationum notabilis summae pecuniae, mense ianuario 1924 deseruit munus quod sibi

commissum habebat vicarii cooperatoris et clam aufugit in Poloniam. Ibi ad genus vitae saecularis transiisse fertur. Sacerdotes: Joseph Purickis, Ladislaus Dzimidavičius, Antonius Jononis, Josephus Talmontas, et Henricus Žylevicz(advena ex archidioecesi Mohiloviensi) ita se gerunt ut statum sacerdotalem sponte deseruisse videantur. Omnes sunt ab Ordinario moniti, ut ad genus vitae sacerdotalis redeant, addita comminatione applicationis sanctionum iuris ad normam canonis 2379.

Sacerdos Josephus Kubilius, iam antehac a sacris suspensus, anno 1923 praesumpsit contrahere matrimonium per actum civilem.

50,51, ut anno 1921.

52. Generatim clerici a legendis diariis vel libris contra fidem aut bonos mores tractantibus sese abstinent vel in casu necessitatis dispensationem sibi procurant.

53. Sacerdotes Franciscus Vilunas et Ludovicus Adamauskis, qui saepius moniti, correpti ob praevaricationes contra obligationes proprias status clericalis demum ad partes adversariorum fidei transierunt, factionibus socialisticis nomen dantes, anno 1922 per sententiam iudicialem depositi sunt, ad normam cann. 2379.

CAPUT VIII.

De Capitulis.

54,55 ut anno 1921.

56. Dotatio Capituli est: a) aliquot aedes in civitate episcopali mediocris valoris; b) unum praedium parvum in dioecesi longe a civitate episcopali situm, quod in praesenti fere nullum emolumentum praestat; c) annua pensio ex aerario publico in quantitate 1200 - 1500 lit. singulis capitularibus.

Regulae Canonis 395 circa distributiones quotidianas et punctaturas servatur.

57.Canonicatus aut beneficia patronata non adsunt.

58.Capitulum habet Statuta seu "Constitutiones Capituli Basilicae Cathedralis Samogitiensis seu Caunensis"anno 1563 a Nuntio Apostolico cum facultate Legati de Latere in Regno Poloniae et Magno Ducatu Lituaniae confirmatas,anno 1924 recognitas,ad tramitem Codicis Juris Canonici emendatas et ab Episcopo loci approbatas.

59.Canonici ad honores sunt 14.Regulae can.406 de iis servantur.

60.Sede episcopali vacante eligitur a Capitulo Vicarius Capitularis ad normam iuris.

Ultima vacationis vice mense septembri 1913 anni electus fuit a Capitulo Vicarius Capitularis qui secundum vigentem tunc temporis in regione legem Russicam confirmandus erat a gubernio imperiali.

Quoad modum constituendi Episcopos legibus Lituaniae hucusque nihil expresse statutum est.Nominatio Episcoporum libere fieri posset,ad normam iuris ecclesiastici;verumtamen ad evitandas difficultates in capienda possessione bonorum,in pensione ex aerario publico percipienda et etiam in exercitio iurisdictionis,videtur necessaria praevia auditio gubernii.

61,62 ut anno 1921.

CAPUT IX.

<u>De Vicariis foraneis et Parochis</u>.

63,64 ut anno 1921.

65.Ultimo quinquennio constituuntur parochi stabiles.

Ecclesiae cathedrali paroecia non est unita.Una paroecia est uni-

ta domui religiosae Ordinis Fratrum Min.S.Francisci.Cura animarum exercetur per vicarium paroecialem,qui est religiosus,constitutus ad normam can.471.

66,67 ut anno 1921.

68.Parochi vivunt reditibus:a) e fundo terrae circa 30 ha;b)parva pensione ex aerario publico in summa 1520-1200 litorum pro anno; c) e iuribus stolae;d) partim etiam liberis fidelium contributionibus annuis in specie sic dictae kalendae,quae cedunt in subsidium cleri paroecialis et famulorum ecclesiae.Vivunt generatim commode nec sunt qui egestate laborent.Omnes domo paroeciali propria eaque sufficienti instructi sunt.

69,70,71,72,73,74,75,76 ut anno 1921.

CAPUT X.

De religiosis.

77,78,79,80,81,82,83 ut anno 1921.

CAPUT XI.

De populo fideli.

84,85,86,87 ut anno 1921.

88.Matrimonia mixta,quae antea fere exclusive inter catholicos et protestantes occurrebant,ultimis annis etiam cum schismaticis Russis habentur.Ratio est quia leges russicae,quibus subditis ortodoxis(schismaticis) matrimonia coram ministro catholico contrahere et cautiones praestare prorsus erat vetitum,iam post revolutionem abrogatae sunt.

Status matrimoniorum mixtorum ultimo quinquennio in dioecesi initorum hoc modo exprimitur:

1.Numerus absolutus matrimoniorum mixtorum.....716.

2.Matrimonia non mixta.........................31600.

3.Prportio pro centenis in genere............ 2,22.

Matrimonia haec in dioecesi ineuntur cum praevia dispensatione, praestitis cautionibus opportunis,ad normam can.1061,quae regula - riter servari solent.Causa praecipua admittendi matrimonia mixta est ne contrahentes ministrum acatholicum adeant.Celebratio horum matrimoniorum ex vigenti consuetudine immemorabili peragi solet cum consuetis ecclesiae caeremoniis,exclusa semper Missae celebratione et benedictione.

89. ut anno 1921.

90.In omnibus <u>scholis</u>,praesertim elementaribus,servatur prae - scriptum can.1375 de institutione religiosa puerorum.Legibus Reipublicae cautum est,ut doctrina religionis in scholis primariis tradatur pueris per duas horas in hebdomada.Praeterea fidelibus et associationibus catholicis liberum est scholas confessionales erigere,ut pueri a scholis mixtis,neutris vel acatholicis avertantur.

91.Scholae elementares,quarum numerus in dioecesi 1700 excedit, et scholae mediae in numero ultra 50 omnes sustentantur praecipue e publico aerario,partim etiam solutionibus eorum qui scholas frequentant.

Numerus alumnorum qui scholas elementares cum bono fructu frequentant 85000 superat.

Praeservationi iuventutis scholaris caveri studetur per organizatas inter ipsos discentes <u>associationes</u> catholicas(Ateitininkai, Pavasarininkai etc.),quae proprios libellos periodicos,libros,ephemerides edendos curant,conferentias instituunt,congressus iuventutis catholicae celebrant.

Bonam spem praebere videntur associationes seu corporationes academicae iuventutis catholicae,quae inter studiosos Universitatis et aliarum scholarum superiorum (sub nomine "ateitininkai") organizatae sunt et spiritu catholico diriguntur.

92.Quoad religiosas et pias laicorum associationes:In quavis paroecia adest notabilis numerus sodalium tertii Ordinis S.Francisci; fere omnes fideles adscripti sunt confraternitatibus SS.Rosarii,B. M.V.de Monte Carmelo,S.Dominici,SS.Sacramenti,Cordis Jesu et aliis.

Confraternitates SS.Sacramenti et Doctrinae Christianae erectae iam sunt penes omnes ecclesias paroeciales et penes plerasque filiales eriguntur.

Piae pro iuvenibus uniones numerant plura centena sodalium magno cum religionis profectu.

93,94,95,96,97,98,99 ut anno 1921.

CAPUT XII.

Judicium sintheticum circa dioecesis statum.

100.Omnibus in universum complexis,dioecesis conditio,materialis ac moralis,ultimis annis,post diuturni belli calamitates,est gravis et plena periculis.

Spes melioris status ponitur:1)in clero magis in dies doctrina, fidei zelo,morum sanctitate adaugendo;

2)in catholicis associationibus,catholica actione tum sociali tum politica promovenda;

3)in catholicis scholis erigendis,in scriptis propagandis;

4)in collaboratione utili religiosorum Ordinum ac Congregationum in dioecesi.

Praeterea,post vicissitudines politicas,quas regio in praesenti

subit, conditio Ecclesiae in posterum melior speratur. Recuperata libertate politica, natio Lituana totis viribus tendit ad restaurandum et condendum Statum proprium cum forma regiminis democratica. Et quia catholici in regione numero multum praevalent, licet sperare futurum ut libertati Ecclesiae etiam legibus favore religionis latis caveatur.

Quod ad monita et animadversiones S.Congregationis Consistorialis in litteris diei 28 novembris 1921 anni sub num.1321 datis, humiliter refero:

1) Cum propria veraque synodus dioecesana ob varias difficultates, praesertim ob penuriam sacerdotum et attenta locorum distantia, in elapso quinquennio celebrari adhuc non potuit, quotannis habitae sunt conferentiae vicariorum foraneorum, seu decanorum, qui simul cum canonicis capitularibus convocabantur ad consultationem pro urgentioribus et gravioribus negotiis dioecesis.

2) Quod ad consuetudines liturgicas. Conferentia Ordinariorum Lituaniae, die 15 februarii cur.anni praeside Ex.imo Visitatore Apostolico habita, nuperrime ad S.Sedem Apostolicam preces direxit, quibus imploratur ut Appendix ad Rituale Romanum, speciales loci usus et consuetudines continens approbetur atque Ritualis Romani usus una cum dicta Appendice in posterum pro universa Lituania benigne permittatur.

Kaunas, die 2 martii 1926 an.

Nr.1241.

Franciscus Karevičius

Episcopus Samogitiensis.

Can. C. Paulys

Cancellarius.